Z B I O R druków procesowych z XVIII. i XIX. w.

Tom II.

Nr. 1.	Elsner i Wisogierdowie r.1782.	szt. 1.
" 2.	Froelichowie r.1799.	" 3.
" 3.	Goldynga r. 1765.	" 2.
" 4.	Grabowski i Siehen etc r,1799.	" 1.
" 5.	Grabowscy r. 1799.	" 2.
" 6.	de Grothuz i Piotr Książę kurlandz.r.1779	" 1.
" 7.	Grużyński i Podberescy r. 1799.	" 3.
" 8.	Haudring i Klüchzner r. 1779.	" 3.
" 9.	Haudringowie i Platerowie r. 1780.	" 2.
" 10.	Janowicz i Chodakowscy r. 1799.	" 1.
" 11.	Izraelowicz i Radowicki r. 1799.	" 2.
" 12.	Hryniewicz r. 1774.	" 1.
" 13.	Jezuici toruń. i Magistrat toruń. r. 1724.	" 3.
" 14.	Jasna Góra i Kłobuck r. 1790.	" 2.
" 15.	Jocz i Downarowicz r. 1800.	" 1.
" 16.	Kaczanowska i Brzozowski 1799.	" 1.
" 17.	Kalenkiewicz r. 1760.	" 1.

STATUS CAUSÆ

Pro Nobilibus & Spectabilibus Prætore Consulibus totoq; Magistratu & Tribunis Civitatis Goldingensis.

Contra Generosum Ordinem Equestrem Districtus Goldingensis partem appellantem.

Causa super Compatronatu, alias Simultanea per Civitatem cum Nobilitate electione Parochi ad Ecclesiam Goldingensem.

CIVITAS Goldingensis in Districtu Piltinensi Ducatus Curlandiæ existens, ante Annum 1300. á Crucigeris locata, quæ jam propriam jurisdictionem Ecclesiam & Cemeterium in Anno 1361. habuit, teste Arndt: in Chronica Livon: par: 2. quo in tempore Ducatus Curlandiæ nondum in Districtus erat divisus.

Hæcce Civitas inpacifica & nunquam imterrupta possessione Ecclesiæ ibidem existentis, & præcipuè Simultaneæ Electionis Parochorum cum Nobilitate Goldingensi permanebat. Nunc primum post ultimariam & simultaneam Electionem Parochi in Anno 1761. & Celsissimo Duci ad ratihabendum porrectam, Nobilitas Districtualis in Conventu Provinciali Anni 1763. intulit petita ad Celsissimum Ducem pro amovenda Civitate à compatronatu.

Verum Celsissimus Dux hac in re minimè præcipitando, tantisper petitis Nobilitatis non adhæsit, sed potius Civitatem ad producenda Jura ad compatronatum per mandatum suum vocare jussit: --Vid: Mand-- Ducale-- Nro 3. fol 199.

Ab hoc tempore cæpta Lis de Jure Compatronatus, quam facilitando Civitas, & Mandatis Celsissimi Ducis obtemperando, jurium suorum expositionem fecit, deducendo ab immemorabili tempore clarum suum petitorium, junctum cum continuo possessorio simultaneæ cum Nobilitate electionis Parochorum.

Nro 4. fol: 201. & seq:

Hanc expositionem Jurium ad electionem Parochorum civitati servientium, per instrumentum suum Celsissimus Dux Nobilitati communicavit.

Nro 5. fol: Act: 236.

Ad quam respondendo Nobilitas, solum verbaliter intulit: quod ultra Possessorium à Civitate allegatum, nullum aliud jus Civitati ad compatronatum in Petitorio competit.

Nro 6. à fol: 238.

Hanc simplicem allegationem Nobilitatis elidendo Civitas, etiam ad demonstrandum jus suum Petitorium sequentia Documenta exhibuit.

1mo. Quod Ecclesia Parochialis Goldingensis in fundo Civili est erecta.

2do. Quod Sigillum Civitatis nempe Imago Sæ Catharinæ super Valvis Ecclesiæ comperitur.

3tio. Quod hæcce Ecclesia Parochialis á prima sui Erectione retinet in hucusq; titulum Sanctæ Catharinæ.

4to. Quod Cantor & Organarius per Civitatem locantur & retinentur, quibus mercedem ac mansiones confert Civitas.

A

5to. Proviſores Eccleſiæ ex Ordinibus Civitatis eliguntur, & hi coram Magiſtratu præſtant calculum, ab eodemq; quietantur.

6to. Conſul Civitatis & Director ſimultaneus Eccleſiæ cum altero electo per Nobilitatem.

7mo. Servitor Eccleſiaſticus cum Campanario à Civitate conſtituuntur, hiſq; Civitas Salarium & Manſiones præbet.

8vo. Civitas maximopere pro Eccleſia contribuit, & hanc combuſtam ſine ulla Nobilitatis ad reædificationem contributione ſuis ſumptibus reædificavit.

9no. Parochus Plebis Villanæ conſtitutam á Civitate recipit penſionem, poſſidet Areas Civiles & Manſionem.

10mo. Cives Goldingenſes tanquam Concollatores in Eccleſia habent ſua ſcamna & ſepulchra.

11mo. Tempore devotionis recommendatio fit à Parocho orationum pro Nobilitate & pro Civitate.

12mo. A Civitate deputati in Viſitationibus & Reviſionibus Eccleſiaſticis aſſident, ſuffragiiſq; gaudent.

13tio. Ad expenſas præſentationis & introductionis novorum Parochorum contribuit eadem Civitas.

Nro 7. à fol: Act: 245. ad 263.

Ex his ac aliis legalibus expoſitionibus per Civitatem adductis Lege ac Documentis ſuffultis, latum Decretum. Quo mediante conſervata Civitas circa poſſeſſionem juris compatronatus eligendorum & præſentandorum Parochorum, reſervans actionem nobilitati in Petitorio.

Vid: Decretum Nro 18. à fol: 467.

Huic ſententiæ non acquievit Nobilitas, ſed ab ea provocavit Civitatem ad Judicium Ducale Aulicum, per extraditas proſecutiones.

à fol: Act: 187.

In quo Judicio Civitas tanquam in materia ſpirituali, & ad Conſiſtorium Ducale pertinenti, declinavit forum concludendo remiſſionem hujus cauſæ ad Judicia Conſiſtorialia. Judicium reſolvendo exceptionem per Decretum, parti ulterius ſuo coram Judicio hac in Cauſa procedere mandavit fol: in Act. 30. §. Quamvis.

In obſequium hujus ſententiæ interlocutoriæ Civitas reproduxit ſua Jura ſuſtinendo Jus Patronatus in Petitorio, ac ejus antiquiſſimam poſſeſſionem.

A fol: Act: 35. ad 67. §. nobilis

Econverſo Nobilitas reaſſumptis ſuis anterioribus nudis illatis, traxit ſe ad ſufficientiorem deductionem Actionis ſuæ, per documenta quaſi in Archivo Eccleſiaſtico reperibilia. Quorum comportatio per Decretum fuit injuncta fol: Act: 147.

Sed cum & iiſdem documentis nil planè adverſus jura Civitatis deducere potuit Nobilitas, lata ſententia conſervans Civitatem circa Jura compatronatus etiam in Petitorio. fol: Act. 172. ad fol: 181.

Cum & in hoc Judicio non invenit Nobilitas favore ſui deciſionem talem, qualem ſibi optabat, temeraria lite exquirere eam in Judicio Sæ Mtis D. N. C. propoſuit, interpoſitâ à ſupra prætacto Decreto Appellatione, & per Judicium admiſſâ.

Sed magis aberravit in propoſito ſuo, nam in hoc Judicio aſſequi id non poteſt, quod apertè Legibus ac Juſtitiæ eſt contrarium.

Illegitimè ac injuſtè negavit Civitati Nobilitas Jus præſentandi, ac poſſeſſionem ſimultaneæ Electionis Parochi, quoniam incontra ab

ævo & ultra, documentis deduxit Civitas, tum præſentationibus incipiendo ab Anno 1700. ſuperante tempus quadragenarium, quo elapſo juxta Legem Canonicam etiam Juris Patronatus præſcriptio obſtat. Quemadmodum.

1700. Per Nobilitatem & Civitatem electos ex duobus præſentatis unum Parochum confirmavit Celſiſſimus Dux Curlandiæ Lit: A. fol: 217.

1724. Similis Confirmatio à Celſiſſimo Duce ex electis per Nobilitatem & Civitatem unius Parochi Lit: B. fol: 219.

1732. Tertia Confirmatio. Litt: C. fol: 220.

1754. Quarta ſimilis ex porrectis electis per Nobilitatem & Civitatem unius Parochi à Celſiſſimo Duce confirmatio, Lit: D. à fol: Act. 221.

1761. Quinta ſimilis Confirmatio Lit: E. fol: 223.

Eodem Anno Sexta ſimilis confirmatio ex præſentatis, unius Parochi Lit: F. à fol: Act: 224.

His probationibus, non tantum indubitatum Jus, ſed & poſſeſſio ſimultaneæ Præſentationis Parochorum per Civitatem juſtificata, fulcitur inſuper ſuperius expreſſis circumſtantiis favore Civitatis expoſitis. Jam poſſeſſionem ſuam Civitas ſtabilivit in Judiciis appellationis, & ſufficientiſſimis probavit Documentis, quæ & ad præſens in Judicio Sæ Mtis pro firmandis Decretis utriſq; reproducuntur.

In Anno 1470. ex Privilegio Crucigerorum palam conſtat, quod Civitas habuit Jus compatronatus, dum junctim cum commendatore habuit facultatem diſtribuendi fundos Eccleſiaſticos fol: Act: 501. §. Loca libera.

Pro 2do. per Pacta ſubjectionis Anni 1561. conſervatæ Civitates circa Jus compatronatus in verbis: „ Dedimus præterea fidem ſicut & præſentibus Literis ſanctè damus recipimus atq; promittimus. Nos tam Principi ipſi, quam Civitatibus aliis vel ſubditis ſuis cujuscunq; Ordinis vel Status fuerint liberum uſum religionis cultuſq; Divini & receptorum Rituum, Secundum Auguſtanam, confeſſionem in ſuis Eccleſiis, totiuſq; rei Eccleſiaſticæ integram adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, liberè permiſſimus, nec in eo ullam mutationem facturos, neq; ut ab aliis fiat permiſſuros.

Pro 3tio Deciſionibus Commiſſorialibus.

1ma 1642. Art. 1. in verbis: „ Quo ad Jus Compatronatus, ſervabitur laudum Publicum Anni 1618. & intuitu aſſumtionis & dimiſſionis Miniſtrorum Eccleſiæ, modus talis in omne ævum obtinebit, ut ſcilicet in caſu, quo Officium quoddam Eccleſiaſticum penes Eccleſias tales vacans foret, quæ ab Illuſtritate ſua conjunctim cum iis ex Nobilitate, & aliis indigenis ad quod id ſpectat ædificandæ & conſervandæ veniunt, nemo ab Illuſtritate ſua, vel ejuſdem Hæredibus & Succeſſoribus vocetur & aſſumatur, niſi &c. &c. In quem finem vocandus, ante omnia coram ſua Illuſtritate, ac porro coram univerſo Cætu concionando ſpecimen ſui præbebit, ac ſi contra ejuſdem doctrinam & vitam nihil gravius monendum, verum ipſe Nobilibus Parocianis & reliquis intereſſantibus placeret, ad Superintendentem & Miniſterium pro ſubeundo examine mittetur &c.

2da Deciſione Commiſſionis Reipublicæ 1717. ad gravamen 24. cujus hæc ſunt verba: „ Ne in futurum Illuſtriſſimus Princeps ejuſq;

A ii

„ in Feudo Successores Jus Patronatus Nobilium & Civitatum con-
„ tra Laudum publicum de Anno 1684. violaret. &c. Authoritate Sæ
„ Ræ Mtis & Reipublicæ premonemus & inhibemus

Quam Decisionem præoccupavit quærela ipsiusmet Nobilitatis agnoscentis Jura Patronatus Civitatibus competere in gravamine quinto, Anno 1684. in Verbis: „ Vigore primorum Pactorum provisionis
„ horum Ducatuum Curlandiæ & Semigalliæ integra administratio
„ totius rei Ecclesiasticæ Civitatibus & Ordini Equestri competat &c.
„ prout ex antiquis recessibus, ut & ex laudis publicis 1618. & 1636.
„ patet, id quod non observatur.

Ex his clarè patet proprietas Civitatis tuentis Compatronatum, quam Suffragando Lege ac circumstantiis, deducitur ex Canonibus, quod Compatronatus acquiritur tribus modis, Dotatione, Ædificatione, sive etiam Reædificatione, & fundi concessione, hæc omnia adimplevit Civitas. Quoniam ad dotem junctim cum Nobilitate pro Alimentis Parochi contribuit, Organarium, Cantorem, aliosq; servitores Ecclesiæ sola Civitas pensionat, quod probatur Visitationibus Ecclesiæ.

Ad ædificationem nihil quidquam contulit Nobilitas, nam Ecclesia hæc, non tantum per Civitatem primitivè erecta, sed dum tempore belli fuit combusta, suis sumptibus Civitas eandem reædificavit. Documenta horum sunt, tam Privilegia Anni 1630. fol: Act: 532. quam Visitationes Ecclesiasticæ Annorum 1623. 1624. 1650. 1673. á fol: Act. 502. ad 522.

Demum in Anno 1712. Civitas junctim cum Nobilitate Organa in Ecclesia construere mandavit, quod apparet ex Contractu Lit: D. fol: Act: 527.

Super fundo nulla Controversio fieri potest, nam sicuti Ecclesia in Civitate ædificata, re ipsa quod non in Nobilitari sed in Civili fundo est erecta.

Cum & his tribus modis, quibus Jus Patronatus legitimum acquiritur, probavit Civitas, justum proinde est Decretum Civitatem in Petitorio conservans. Et quoniam ex definitione Juris, Jus Patronatus non solum est onerosum, verum etiam honorificum, & horum est particeps Civitas, sustinet onera in reparanda Ecclesia, pensiones Annuas Servitoribus Ecclesiæ & Parocho solvit. Habet honorificentiam per ipsas præsentationes simultaneas cum Nobilitate. Ex recommendatione per Parochum Populo Orationis pro Magistratu tempore Devotionis. In super per consistentia in Ecclesia Scamna & Sepulchra Civium, de quo testantur Acta à fol: 523. ad fol: 527.

Itaq; nullò dubio subjacens compatronatus Civitatis tam apertissimis probatur Documentis, ac binis conformibus comprobatur sententiis, nullam prorsus reliquit viam, ulterius Nobilitati agendi, & ad Judicium præsens provocandi. Quapropter id rectè Civitas Golding:

S U P P L I C A T.

Sententias utrasq; Judicii Ducalis, tanquam Juri & Justitiæ conformes approbari Gsum Ordinem Equestrem Districtus Goldingensis pro indebita appellatione in omnibus damnis & Litis expensis mille Thaleros excedentibus condemnari, partesq; pro executione ejusmodi Decreti ad idem Judicium remitti.